Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Cumq; hec et his similia diceret ad eos
qui redusi erant. tempore oportuno
reperto templum martis et deorum nocte
ingressus ponensq; ignem succendit eum.
Visus autem ab aliquo accusatus est.
Chronides uero tabularius cum cognouisset
hoc factum. metu perteritus. comprehendit be-
atum theodorum. et optulit eum publio
presidi. dicens. Hic pestis et nuper tyro
qui eciam aduenit in ciuitatem nostram. tem-
plum antiquitatis deorum et martis igne
succendit. deosq; nostros iniuriauit. Que
ego comprehendens optuli tue magni-
tudini. ut secundum precepta inuictissimorum
imperatorum penas exsoluat. de his que
in deos nostros audacter gessit. Iudex autem
cum audisset accersito brinca preposito
ait ad eum. Tu ei dedisti inducias ut
deorum nostrorum templum igne succenderet.
Qui respondens dixit. Ego sepius eum
adhortatus sum dans ei dilacionem. ut se-
cum pertractans consenciat nobis. et
immolet diis immortalibus libamina.
Si in uero hoc fecit. tu cum sis iudex tanquam
i ɔtēpto deorum penas exerce. secundum datam
tibi potestatem. Sedens ergo preses pro tribu-
nali. iussit sibi adduci beatum theodorum.
Cumq; adductus fuisset. dicit ei preses.
Ut quid pro eo ut sacrificares diis nostris
ignem et incendium eis obtulisti?
Beatus theodorus dixit. Quod feci non ab-
nego. Igne namq; eum incendi. Talis
autem deus non est et potencia eius. ut ig-
nis eum tangat. et inflammet eum. Ego e-
nim ligna succendi. ut lapides con-
burerem. Tunc furore repletus preses ius-
sit eum cedi dicens. Multa in uba
noli respondere. Expectant enim te
durissima tormenta. ut te faciant
obtemperare preceptis imperatorum.

Theodorus dixit. Neq; tibi acquiesco:
neq; penas tuas pertimesco. eciam
si sint fide terribiles. Fac ergo quod uis.
me enim expectacio uictorum inuitat. ut
confidam propter spem que michi reposita est. et
coronam quam michi dominus preparauit. Iudex dixit.
Sacrifica diis et erue te ab hiis tormentis
que tibi preparata sunt. Theodorus dixit. Non
michi sunt tormenta hec que ante inferunt tribulia
Dominus enim et rex meus ihesus ante faciem
meam assistit qui me eruet de supplicijs
tuis. que tu non uides. eo quod oculis cordis
tui non uides. Indignatus est enim iudex et
sic fremens ut leo. iussit eum mitti in
carcerem. et signari ostium carceris. atq;
ibidem eum dimitti ut fame moreretur.
Beatus uero theodorus a spiritu sancto nutriebatur.
In eadem autem nocte apparuit ei dominus dicens.
Confidens esto serue meus. quia ego sum
tecum. Ne ergo accipias escam et potum ab istis
hominibus. est enim tibi alimentum incorrup-
tum in celis. Et hec dicens recessit ab
eo. Et cum recessisset ab eo. cepit beatus
theodorus exultare et psallere deo. Erat
autem pluribus multus audiens eum. Hec
ergo cum audissent custodes carceris. et
uiderent ostium clausum. et signaculum
sanum. aspiciebant per fenestram. et uidentes
plurimam multitudinem uestibus albis amictam. et
psallentem simul cum sancto theodoro. metu-
entes abierunt et renunciauerunt hec iudici.
Cumq; hec audisset iudex surgens cum
festinacione cucurrit. et uenit ad ostium
carceris. et uidit carcerem clausum. et uo-
ces psallencium cum beato theodoro audiuit.
Audiens hec preses. iussit ut milites
armati carcere clauso intrarent cum
custodirent de foris. suspicatus aliquos
christianorum esse intus cum beato theodoro.
Et apiens ingressus intus neminem uidit.